



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Victor cupiditatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Iofernes ille Martis pullus, mentem suam amisit, cùm Juditham vidit, *que discriminavit crinem capitis sui, & captus est in oculis suis.* Judith. c. 10. Quid, quòd assentatores comam Berenices, Ptolomæi regis filia à Dijs in astra relatam, ac jam capillorum nexum è stellis compactum apparere, non erubuerint mentiri. Adeò Medusea capita nunquam innocenter aspiciuntur; vel enim dementant gratiâ coloris, vel formidine horroris.

II. (b) Cirri & cincinni Medusæ in angues abierunt. Hoc crinale manet, superbas in sepulchro comas. Monet Hieronym. epist. ad Eutam, de institutione filia: Cave, inquit, ne aures perfores, ne cerussa & purpurisso ora depingas, ne collum auro & margaritis premas: ne caput gemmis oneres: ne capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus *auspicias.* Minatur Isais c. 3. ejusmodi crinitis *retiaris.* *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.* Rectè verò; hoc est turritam superbæ molem, à summo deijcere. Concidunt reliqua ornamenta omnia, si hic decor defluerit. Apulejus hinc censor sit. Si, inquit, cujuslibet eximæ & pulcherrimæ feminae caput capillo spoliaveris, licet illa cœlo delapsa, licet omni Gratiarum choro stipata, & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo fuccincta, cinnama fragrans, & balsama rorans, *calva processerit,* placere non poterit. Quod & à Poëtis decantatum:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Experta est Medusa, quid sit capillari fastu intumescere. Nam quale monstrum, & quali dignum speculo, anguineas pro cincinnis spiras in capite, unum in fronte oculum circumferre! Nimirum quò quæque avidius cupit videri ab alijs, hoc seipsam videt minus.

III. (c) Perseus enim verò virum se præbuit, qui Medusam à tergo adortus est, unde nullum oculis periculum. Cum vertice præcidit causam nocendi, & materiam vitij, in virtutis spoliolum convertit. Nec mirum; Pallas ei cum Ægide sapientiam contulit, sine qua nulla victoria de hostibus, præsertim animi, reportatur. Aristoteles, ut Laërtius testatur lib. 5. c. 1. monuit, voluptates contemplandas, non venientes sed abeuntes; antrorsum enim fucata specie blandiuntur, retrorsum pœnitentiam ac dolorem relinquunt. Hoc Perseus docuit, Medusam aspectu exitiosam, à tergo aggrediendo,

IV. (d)

(b) Capillorum vanitas. (c) Victor cupiditatum.